Morbio 24 (5)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

MAXIMILIANVS diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus: ac Hungariæ: Dalmatiæ: Croatiæ &c Rex: Archidux austriæ: Dux Burgundiæ: Brabantiæ:
Stiriæ: Carinthiæ: Carniolæ: limburgiæ: lucemburgiæ: Geldriæ: Comes in Habspurg: flandriæ: Tyrolis: Goritiæ: ferretis: in Kiburg: Arthesiæ: et Burgundiæ: Palatinus Hannoniæ: Holandiæ:
Zelandiæ: Namurci: et Zutphaniæ: Marchio sacri romani imperij et Burgouiæ: Lantgrauius Alsatiæ: Dominus frisiæ: Marchiæ schlauonicæ: portus naonis: Salinarũ et Mechliniæ: Reco-
gnoscimus tenore presentium et notum facimus vniuersis: Sceptrigera regalis dignitatis sublimitas ideo ad regale prouecta fastigiũ est: ut commissos sibi fideles optatæ consolationis presidio gu-
bernet: quod thronus augustalis tanto solidetur felicius: et vberiori prosperitate proficiat: quanto largiore benignitate subiectos amplectitur: Juraq atq immunitates sacri imperij conseruat illesas: et
ad illorum profectus et cõmoda diligentiori studio clementius inclinatur: quorũ merita fides atq cõstantia ac interne fidelitatis integritas continuatis studijs cæteros antecedũt: Sane pro parte nri et
sacri imp(er)ij fidelis dilecti hieronimi de castiliono supplex petitio continebat: quod cum quondam franciscus de Castiliono a serenissimo diue memoriæ genitore nro friderico Romanorũ imp(er)atore de an-
no dñi Milloquadringetesimoquinquagesimoquarto de Castro Venegoni sup(er)ioris diocesis mediolanensis cũ omnibus p(er)tinentijs mero ac mixto imperio ac omnimoda iurisditione pro se ac successoribus suis inue-
stitus fuerit: Reseruando tñ sibi ac successoribus suis Romanis imp(er)atoribus et regibus debite fidelitatis iuramentũ: quod et ipse franciscus p(er) se vel procuratore idoneũ: infra sex menses tũc proxime futuros pre-
stare debebat: et prout latius in dicto priuilegio cõtinet(ur): cuius tenorem hic pro sufficienter expresso hri volumus: Nihilominus huiusmodi iuramentũ p(er) eundem franciscũ nunq fuit prestitũ: mortuoq deinde
predicto francisco iam annis viginti elapsis: relictis post se tribus filijs scilicet Guidone: branda: ac Joanne stephano: p(er) ipsos iadictos filios infra annũ et diem uti in hijs seruari cõsuetũ est: et pro ut de iure
tenentur: nunq petita atq accepta nec debitũ fidelitatis iuramentũ prestitũ fuit: posteaq mortuis et p(re)nominatis Guidone et Branda fratribus relictis post se floramonte filio ipsius brandæ: ac Guida
francisca filia Guidonis p(re)nominati: qua ipse prefatus Jheronimus supplicans in vxorem duxit: ab eisdem et pariter et inuestiture petitio: et iuram(en)ti prestatio neglecta fuit: quare cũ ex omnibus p(re)allegatis
quod eũ que ex forma priuilegij et de iure seruãda erat: seruata minime fuerit: feudũ ipm ad nos et sacrũ romanũ imperiũ deuolutũ sit: quod nos denuo eũ ac heredes suos de p(re)nominato castro Vene-
goni cũ oibus p(er)tinentijs et iuribus suis: mero ac mixto imp(er)io ac omnimoda iurisditione: ut predictũ est: de gr(ati)a sp(eci)ali inuestire dignaremur: Nos itaq attentis p(re)dictis: ac et alijs ad hoc aim nrm mouentibus
sano ad hoc principũ: comitũ: Baronũ: et nobiliũ sacri imp(er)ij accedete cõsilio: ex certa nra scientia: ac de nostre p(otes)tatis plenitudine ipm castrũ et feudũ: cũ oibus p(er)tinetijs et iuribus: ut sup(ra) p(re)mittit(ur) ad nos
et sacrũ imp(er)iũ nrm deuolutũ esse: ac p(re)nominatos francisci filios et nepotes ab eo et iuribus suis cecidisse hijs nostris perpetue vim legis et edicti habituris edicimus et declaramus: ac declaratũ esse vo-
lumus: Attendentes insuper sincerũ deuotiõis affectũ quo se ipse hieronimus et domus eius nuper in mediolanensibus rebus nobis et sacro imperio fideles ac obedientes ostenderũt: et fidelia seruitia eidem sa-
cro imp(er)io feruenter exhibita: et per eundem feruentius exhibenda animo deliberato sano ad hoc principũ: comitũ: Baronũ et nobiliũ sacri romani imp(er)ij accedente consilio: ex eadẽ certa scientia ac imp(er)i-
alis plenitudine potestatis: prefatũ hieronimũ et eius heredes masculos ab eo legittime descendentes de supradicto castro Venegoni sup(er)ioris cũ oibus p(er)tinetijs mero et mixto imp(er)io ac omnimoda iurisditione
alijsq regalibus a nobis et sacro imp(er)io depedentibus inuestiuimus et illi dedimus et cõcessimus in feudum et benefitiũ nobile inuestimus ac infeudamus p(er) p(re)setes: ita et taliter: q(uod) ipse et heredes sui
masculi ab eo ut p(re)mittitur legittime descendẽtes predictũ castrũ cum omnibus suis iuribus et p(er)tinentijs a nobis et sacro Romano imp(er)io in feudũ tenere et possidere: eius territorio ac iurisditione u-
ti et frui: in hijs plenã et liberã ac omnimodam p(otes)tatem exercere et omnia et singula onera tam realia q(uam) p(er)sonalia et mixta imponere exigere et leuare possint et debeant: prout natura huius-
modi feudi et ius sacri Romani imp(er)ij exposcit: et quæ alij vasalli eiusmodi rerum exercere: et facere de iure possũt et valent: et prout illi de castiliono prius inuestiti faciebãt: Reseruato tamen
nobis et successoribus nris romanis imp(er)atoribus ac regibus et romano imp(er)io obedientiæ et fidelitatis debite iuramento: quod nobis et imperio sacro quilibet eorũ prestare debebit: quẽadmodũ prefa-
tus hieronimus erectis digitis prout solitũ est: nobis corporaliter iurauit: Videlicet q(uod) semp(er) in antea p(er)henniter constanter et fideliter erit nobis et sacro romano imp(er)io et omnibus successoribus nostris
Serenissimis romanorũ imperatoribus: et regibus legittime intrantibus fidelis et obediens: nec vnq(uam) erit in cõsilio vbi periculũ nrm tractet(ur): sed bonũ nrm et salutẽ defendet et fideliter promouebit
Damna nra pro sua possibilitate euitabit et auertet: et omnia alia et singula fatiet: quæ fidelis vasallus ratione huiusmodi de iure et cõsuetudine facere tenetur: Non obstantibus in pre-
dictis decreto ducali: quo cauetur: quod nemo possit impetrare priuilegia imperialia sine sp(eci)ali licentia ducis mediolani: et si fuerit impetrata nõ valeat ipso iure: et omnibus alijs iuris disposi-
tionibus: necnon altero decreto edito de anno Millesimoquadringetesimo vicesimotertio: quod incipit prouidere volentes: vel alijs quibuscũq legibus: ordinationibus: iuribus: cõstitutionibus: de-
cretis: statutis: seu consuetudinibus: presenti nostro indulto declarationi et concessioni quouis modo contrauenientibus: et si tales essent que deberent exprimi et de eis fieri mentio spetialis: Quibus
obstantibus et obstare valentibus: huic nostre concessioni et eius effectui de nostre plenitudine p(otes)tatis: motu proprio et de certa nostra scientia et causæ cognitione in hoc dumtaxat casu totaliter
derogamus: et derogatũ esse volumus p(er) presentes: Quocirca vniuersis et singulis dicti castri et iurisditionis eius subditis: incolis: inhabitatoribus: pensionarijs: censuarijs: colonis: rusticis
et agricolis ac alijs quibuscumq et quomodocũq ad id spectantibus districte precipiendo mandamus ut prenominato hieronimo et eius heredibus masculis: ut premittitur: tanq eorũ veris
et legittimis Dominis: in omnibus et singulis pareant: et obediant: exhibeantq debitã fidelitatis obedientiam: reuerentiam et honorem nostris tñ et sacri imperij iuribus ac cuiuslibet alte-
rius semper saluis: Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc nostre inuestiture infeudationis: et concessiõis paginã infringere aut ei quouis ausu temerario contraire: Siquis aũt hoc attem-
ptare presumpserit nostram et imperij sacri indignationẽ grauissimã ac penam quinquaginta marcarum auri puri toties quoties contrafactũ fuerit ipso facto irremissibiliter se no-
uerit incursurũ quarũ medietatem imperialis fisci nostri siue erarij: residuam vero p(er)sone iniuriam passorũ usibus decernimus applicari: Harũ testimonio litterarũ sigilli nostri appensi-
one munitarũ: Datũ in ciuitate nostra imperiali Augusta die tertiadecima mensis Augusti Anno Domini Millesimoquingentesimo Regnorũ nostrorũ Romani quintodecimo Hunga-
riæ vero vndecimo annis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-185946551X-16/fragment/page=0001
DFG

Ad Mandatum dni
regis proprium

Privilegium [illegible] dni Hieronimi
de Castilliono de Castro Senegoni
1500 13/VIII
n° 247

Cast. Mar. 7
101

Morbio 24 (5).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-185946551X-16/fragment/page=0002